

Kam:

1286

Marienbibliothek Halle/5.

Kern 1286



DE  
VOCIS ET LOQVELAE  
VITIIS,

---

CONSENSV FACVLTATIS ILLVSTRIS,

PRAESIDE

JOANN. CHRIST. REIL,

MED. ET CHIRVRG. DOCT., THERAPIAE PROF. PVBL.  
ORDIN., CIVIT. HALENS. PHYSICO, ACADEMIAE IMPE-  
RIALIS NATVRAE CVRIOSORVM SODALI,

PRO

GRADV DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME CAPESSENDO,

DIE XXVI. SEPTEMBRIS MDCCXCIII.

PVBLINE DISPVTABIT

CHRIST. SAMVEL RÜCKER,  
SPROTTAVIA - SILESIVS.

---

HALAE,

T Y P I S C V R T I A N I S.



18700112 NOCH

801 V

GEPRÜFT UND EINGELEGT VON DR. K. VON

DR. K. VON

DR. K.

GEPRÜFT UND EINGELEGT VON DR. K. VON

GEPRÜFT UND EINGELEGT VON DR. K. VON

GEPRÜFT UND EINGELEGT VON DR. K. VON

Marienbibliothek  
Halle/5



V I R O

EXCELENTISSIMO, DOCTISSIMO  
EXPERIENTISSIMO QVE,

CHRISTIAN. ZACHARIAE  
RÜCKER,

MEDICINAE DOCTORI, CIVITATIS SPROTTAVIENSIS CIR-  
CVLIQVE PHYSICO, COLLEGII MEDICI ET SANI-  
TATIS CIRCULI GLOGAVIENSIS  
ADIVNCTO,

P A T R I S V O

A E T E R N A P I E T A T E C O L E N D O ,

H A S C E

S T U D I I A C A D E M I C I P R I M I T I A S  
I N A E T E R N U M  
G R A T I S S I M I A N I M I M O N V M E N T U M

S A C R A S E S S E V V L T E T O F F E R T .



О РЕЧИ  
О МИЛОСЕВОМ ПОДВИГЕ  
СВЯТОГО ГРИГОРИЯ  
БАЛАНОНА МАНЕЖНОГО  
ПАНОВА

СЛОВА ПРОСВЕЩЕНИЯ СТАТИОННОГО ДОКТОРА ГАБРИЕЛЯ  
ЛУЧАСА КОЛДАЧКА ЧЕРНОГО ВЪДУВА  
СВЯТОГО ГРИГОРИЯ БАЛАНОНА

О ТЕМПЛЕ  
СВЯТОГО ГРИГОРИЯ БАЛАНОНА  
СВЯТОГО ГРИГОРИЯ БАЛАНОНА  
СВЯТОГО ГРИГОРИЯ БАЛАНОНА

§. 1.

Instituti ratio.

**A**ccurata adhuc atque diligent inquisitione indigent vocis et loquela dignitas et usus in semiotice et practica medicina, quam cum nos suscipere tentaverimus, rogamus etiam atque etiam eos, qui scheldiasma hoc inspicerint, ut tenuitati virium et angustis hujus tractatus finibus ignoscant, si quid minus probatum firmisque argumentis stabilitum videatur. Habet enim hoc semiotice singulare, quod firma pauca atque explorata, perinde ut dignitas scientiae postulat, continet; cuius quidem rei culpa infidis plane atque futilibus auditorum observationibus est adscribenda.

Conati quidem sumus ea omnia, quae medici et antiqui et recentiores viderunt, in ordinem certum redigere, captiosas autem omittere interrogations, quippe quae medicum verum non decent, et quae ita constitutae sunt, ut in eadem re paria contrariis in partibus momenta rationum inveniantur et facilius ab utraque parte assertio sustineatur.

§. 2.



## §. 2.

## Vocis et loquelae dignitas.

Dignae omnino sunt et vox et loquela, quae a medico morbos observante, tanquam signa, adhibentur, cum functiones hae, rite peractae, integratatem virium denotent, labefactae suppressas quoque vires et exhaustas indicent. Accedunt nervorum insignium ad organa haec permeantium partitio copiosa et uberrimum cum aliis nervis commercium, quibus patefieri videtur veritas assertionis, quod inde optimae et sanitatis et morborum notae peti possint.

*Vagorum* nervorum conjugatio, quam sympathicam insignem nuncupare ausim, adit laryngem, ad vocem formandam facit, et arctum init connubium cum sympathico proprio sic dicto, cum cervicalibus pluribus, imo cum linguali medio, glossopharyngeo et accessorio Willissii <sup>1)</sup>). Nervus singularis ex conjugatione *vaga* ortus, qui nomine *recurrentis* insignitur, haud procul ab ortu junctus cum laryngis interno ramo *vagae* conjugationis, distribuitur in musculos et ligamenta laryngis, nubit phrenico nervo et ipsi plexui pulmonari <sup>2)</sup>.

## Motus

1) *Scarpa* vom Beynerven, in den Abhandlungen der chirurg. Akademie zu Wien, Th. I. S. 402. --- *Andersch* descript. nervor. cardiac. §. IX. in *Ludwig* script. nevrol. Vol. II. p. 121.

2) *Walter* de nerv. abdom. et thorac. tab. III. 395. 401. 405. --- *Haase* de nerv. phren. dextri lateris in *Ludwig* script. nevrolog. Vol. III. p. 115. 116.

Motus vero linguae et loquela efficiuntur actione *lingualis medii*, seu *noni nervi*, qui, arteriae vertebrali vicinus, suscipit plures ex pare *vago* et *accessorio* *Willisii ramos*, deinde intime jungitur cum primis quatuor nervis cervicalibus, ut et cum quinto pare *cerebrali* <sup>3)</sup>. His connubiis et anastomosibus insignibus rite cognitis facile declaratur summa loquelae dignitas ad internoscendam affectuum plurimorum natum et ad praedicendum morborum eventum.

### §. 3.

## Vocis robur.

Omittamus, quae ad organismum vocis explicandum pertinent, cum physiologia eadem copiose tractare soleat: hic autem tantum moneamus, summam functionis consistere in tensione aequa et uniformi ligamentorum glottidis, praesertim in ratione thyreoarytaenoideorum inferiorum ad superiora <sup>4)</sup>, praeterea vero omnino discriminem aliquod interesse, utrum arctior an latior sit glottidis apertura <sup>5)</sup>. Deinde

ven-

3) *Böehmer de nono pare nervorum cerebr.* §. XLI. f. in *Ludwig* scriptor. nevrol. Vol. I. p. 295 f.

4) *Morgagni* advers. anatom. Tom. I. p. 18. --- *Dodart* dans les mém. de l'acad. des scienc. à Paris, a. 1700. p. 262. --- *Runge* de voce ejusque organ. p. 37.

5) Cf. *Ferrein* dans les mémoir. de l'acad. des scienc. a. 1741. p. 424.

ventriculi laryngis haud quaquam inutiles videntur ad resonitum formandum, et commotiones ab aere erumpente ortos propagandos <sup>6)</sup>.

Vocis etiam robur a copia aeris elisi et ab amplitudine pulmonum producitur. Hinc jam **Galenus** <sup>7)</sup> in animalibus magnam et claram vocem edentibus appendices diaphragmatis maiores esse et longius descendere animadvertisit, quam in iis, quae subinmissam vocem proferunt. Hinc in phthisicis vox fere semper humillima <sup>8)</sup>: hinc quoque post pastum nunquam bene canere, vociferari, sermonem habere possumus <sup>9)</sup>. Hinc in anevrysmate magnae aortae, quo pulmones compressi justam aeris copiam non suscipiebant, vox obscura audita fuit <sup>10)</sup>.

Obstacula quoque in larynge et aspera arteria, relaxatio ventriculorum laryngis, infarctus qualesunque in iisdem impediunt resonitum vocis, debilisque

6) Cf. *Le Febvre* remarques sur l'organe de la voix et sur l'intonation. 8. Paris 1789.

7) Admin. anat. lib. VIII. p. 155. (Opp. ed. græc. fol. Basil. 1538. Vol. I.)

8) *Wedel* et *Schelhammer* de voce] ejusque affectib. p. 37.  
(4. Jen. 1677.)

9) *Hales* hemastaticks p. 58.

10) *Morgagni* de sedib. et cauf. morb. ep. XVIII. n. 25 p. 80.

lemque eamdem et humilem reddunt. Ex collectione gelatinosa in ventriculis laryngis, quae in progressu febris ardantis orta erat, vox debilissima mortem praecedere visa est <sup>11)</sup>). A collecto intra ventriculos laryngis pure <sup>12)</sup>, ex glandulis laryngis induratis idem celeberrimus auctor audiit vocem diminutam cum asthmate <sup>13)</sup>.

In febrium autem acutarum decursu vox debilis cum tremore juncta sequitur plerumque debilitatem generalem, et praeferenti eam systematis nervosi atoniam, quae malum jubet morbi eventum metuere. Coic enim medici jam diuturnum et refractarium morbum fore annunciant, quoties cum alvi fluxu non critico vox tremula et debilis audiebatur <sup>14)</sup>). — Galenus vero inde metastases et delirium praesagivit <sup>15)</sup>, quod jure suo factum fuisse videtur, cum debilitas et morbi versus caput turgor vocis maxime organo, plurimis nervis intertexto, manifestetur. Malum signum in dysenteria Zimmermannus <sup>16)</sup>, in febribus a fame enormi endemicis Sarconius <sup>17)</sup>

hanc

11) Ib. ep. IV. art. 26. p. 59.

12) Ib. ep. XV. art. 13. p. 10.

13) Ib. ep. XVII. art. 19. p. 55.

14) Coac. praepon. n. 258. p. 145. sect. H. Foeff.

15) Comment. in libr. I. prorrh. p. 177.

16) Von der Ruhr unter dem Volk, K. X. S. 219. (ed. 1787.)

17) Geschichte der Krankh. in Neapel. §. 617. T. III. S. 32.

hanc vocis debilitatem experti sunt. Vocem tremulam et depressam secundi febrium putrido-nervosarum stadii assiduam esse comitem observavit *Mertenius*<sup>18)</sup>. Sic *Zwierleinius* aegrotos, qui febribilio - putrida correpti erant, vix intelligere potuit<sup>19)</sup>. *Lionellus Chalmers* eamdem humilitatem vocis audivit ante transitum anginae in statum gangraenosum<sup>20)</sup>.

Non desunt tamen casus, ubi ab accidentalibus et fortuitis rebus vox deprimitur et debilitatur. Satis enim notum est, metum et terrorem in vocem pleniusque ita agere, ut vires labefactent, quibus perficitur.<sup>21)</sup>

#### §. 4.

### Mutatio vocis generatim considerata.

Insignis quaelibet corporis mutatio, et, ut ita dicam, revolutio, vocem quoque alterare solet, quod vel in statu naturali circa annos pubertatis contingit, ubi *hircitallismi* (*το τραγων, τραγιζειν. La mue de la voix.*)

18) Observat. med. Tom. I. p. 59.

19) Verm. med. Schriften, S. 23.

20) Von den Krankheiten in Südkarolina, Th. II. S. 97.

21) *Codranch. de vitiis vocis*, lib. I. c. 14. p. 67. (8. Erff. 1597.)

*voix.*) nomine venit. Rauca fit per aliquot menses vox et tremebunda: transiliunt saepe toni, ut ingratam omnino sensationem audientibus excitent. Nutritio hac aetate aucta auget vibrationem chordarum vocalium; neque tamen pergunt aequaliter tremere, sed anomala oritur aetio, qua declaratur sonus vocis ingratus <sup>22)</sup>). Eodem modo vox mutatur, dum senectus accedit; rigiditas enim omnium fibrarum ad aucta transit in organa vocalia et impedit vibrationes celeriores, quas alioquin chordae vocales proferre solebant. — Mutatur vocis modulatio a quovis animi pathemate. Quantopere enim excedit modum, dum ira homo excanduit! Quam mitis, tenera et gracilis evadit, dum amans suum adloquitur Adonidem! Imo vero nuperorum scriptorum assertio, quod mores animi ex vocis qualitate internosci possint, veritatis aliquam speciem habere et observationibus confirmari videtur.

Aliae caussae accidentales mirum quantum saepius in vocem teneriorum hominum agant. Quo enim quis mobilior est, eo facilis etiam vox ipsius mutatur a quacunque externa caussa. Hoc imprimis de cantoribus et cantricibus valere *Tissotus* his verbis monuit:

<sup>22)</sup> Cf. *Codronch.* lib. I. c. II. p. 61. — *Sauvages* nosot. method. vol. I. p. 784. — *Tissot* essai sur la mue de la voix, p. 162. (8. Lauf. 1786.) — *Buffon* hist. natur. vol. IV. p. 237. (8. Paris 1769.)

monuit: "L'on pourroit juger des momens heureux d'un musicien à son ton,"<sup>23)</sup>. — In statu morboſo occurrens ſaepius celerrima vocis mutatio his iſpis argumentis et observationibus dijudicari potest. Mulieres hystericae enim interdum tam frequentes patiuntur vocis mutationes, ut modo rauca, iam acuta et fonora, nunc gravis et virilis fiat.<sup>24)</sup> Idem in hygrophobieis paroxysmis<sup>25)</sup> et in ſcorbuto inventerato<sup>26)</sup> contingere, boni docuerunt observatores.

In morbis acutis quaevis vocis mutatio morbi etiam mutationem et metaschematismum annunciat. Quod cum in decurſu ardentium aut putridarum febrium contingit, malum inde praefagium,<sup>27)</sup> maniae inprimis,<sup>28)</sup> formari posse contendunt.

### §. 5.

#### Raucitas vocis.

Rauca vox, contraria clarae, oritur inaequalitate vibrationum, quas chordae vocales exercent, producitur

<sup>23)</sup> Sur la mue de la voix p. 165.

<sup>24)</sup> Portal in Sammlungen für praktische Aerzte, B. X. S. 427.

<sup>25)</sup> Swieten comment, in Boerhaav, vol. III. p. 557.

<sup>26)</sup> Hobius van der Worm: atriplex salſum, vulgo Soutenelle, p. 94. (12. Amſt. 1661.)

<sup>27)</sup> Pringle von den Krankheiten einer Armee, S. 285.

<sup>28)</sup> Sarcone l. c. §. 594. Th. III. S. II.

citur autem impedito influxu vis nerveae aut ataxia ipsa nervorum organo vocis inservientium. Quod vitium dum ex caussis occasionalibus levioribus et accidentalibus derivatur, nil mali inde poterit expectari. Adeo enim in quibusdam hominibus ea teneritudo hujus organi et irritabilitas systematis muscularis cum sensilitate nervorum vocalium, ut a quacunque vel leviori caussa raucitatem experiantur. Videmus hoc maxime in hominibus atrabilariis, qui catarrhis habitualibus subiecti sunt. Veneris exercitium, vigiliae nimis protractae, refrigerium, abusus potuum spirituorum, clamores nimii, ipsaque animi pathemata raucitatem producunt, ab ataxia et inordinato seu impedito vis nerveae influxu in organa vocis derivandam. In catarro praesertim, ejusque variis speciebus, in angina serosa et inflammatoria, vox rauca fit, tum ob cartilaginum muco obductarum minus exquisitum tremorem, tum ob relaxata glottidis ligamenta aut alio modo praeter naturam affecta<sup>29)</sup>. Sunt, qui a resorbta materia perspirabili et a migratione ejus in organa vocalia ejusdem modi raucitatem derivare sibi sumunt. Verum enim vero certo certius mihi persuasi, resorptionem hanc et migrationem futilibus niti ratiociniis, neque ex  
vasorum

<sup>29)</sup> Ammann surdus loquens, s. diss. de loquela p. 29. ---  
Borden recherch. sur la position des glandes et sur leur action, p. 104.

vasorum lymphaticorum actione posse explicari. Subito enim saepius et minuto primo saltim celerius tales sequi solent metastases, quae itaque, ut explacentur, requirunt actionem sympatheticam systematis nervosi. Cum autem nervi laryngis intime cohaerant cum pare vago et intercostali magno, optime quoque hoc commercio uti possumus ad explicandam rationem, qua rauitas et catarrhus oriantur.

Rauitas ab aliis febrium speciebus nonnunquam pendet: secuta enim est febrem biliosam, fugata emetico <sup>30)</sup>). In febre praesertim catarrhalis biliosa haudquaquam raro appetet, et complicatio ipsa hoc phaenomeno declaratur <sup>31)</sup>). Post febrem scarlatinosam interdum superfuit, et, nisi venae sezione tolleretur, transit in anginam chronicam. <sup>32)</sup> Inflammatio haec chronica raucedinem refractariam excitans, observatur quandoque apud homines infarctibus arteriabilariis laborantes et transire solet in suppurationem eodem modo chronicam <sup>33)</sup>.

## In

<sup>30)</sup> *Fink de morb. bilios. anomal.* p. 142.

<sup>31)</sup> *Roederer et Wagler de morbo mucoso*, p. 58.

<sup>32)</sup> *Bang diar. nosocom.* Hafniens. 1787. Jan. 9. p. 283.

<sup>33)</sup> *Morgagni ep. XX. art. 26.* p. 127. *ep. XXII. art. 24.* p. 190. --- *Bang* 1783. Sept 7. p. 137. --- *Bonet sepulcret.* lib. I. sect. 22. obs. I. p. 467.

In variis chronicis morbis eadem raucaitas occurrit, et vel eundem statum inflammatorum refractarium laryngis vel topica ejusdem organi vitia indigitat. In lue venerea incipiente raucaitas plerumque primum symptoma ejus status esse videtur, quem Angli *constitutional taint*, (*infectionem generalem*) vocant. In progressu etiam luis consummatae ex uvulae consumptione <sup>34</sup>), ex fere consumpta et immobili epiglottide <sup>35</sup>), ex thymo denique fungoso <sup>36</sup>) oritur raucaitas pertinax, tandem transiens in mutitatem seu aphoniam plenariam. — Phthisicorum vox in initio saepius acuta et sonora, post rauca et obtusa fit, nonnunquam tamen in initio jam hanc raucaitatem contrahit <sup>37</sup>). Hinc non immerito Guil. *Ballonius*, de tali interrogatus refractaria raucaitate, labem pulmonum haereditariam accusavit <sup>38</sup>). Hydrothoracis quoque vulgare est symptoma haec raucaitas \*). In hygrophobiae a morsu canis rabidi  
ortae

<sup>34</sup>) *Codronch.* lib. I. c. 16. p. 72.

<sup>35</sup>) *Brüning* constit. epidem. Essend. p. 34. not. (g)

<sup>36</sup>) *Bonet.* sepulcr. lib. I. fest. 22. obit. 16. p. 470.

<sup>37</sup>) *Portal* in Sammlungen für praktische Aerzte, B. X. S. 420.  
--- *Rautin* über die Lungenfucht, B. I. S. 30.

<sup>38</sup>) *Ballon* lib. III. conf. 2. p. 224.

\*) *Haen's Heilungsmethode*, B. II. Th. V. K. III. S. 253.

ortae paroxysmis, imo in ipsis intervallis observatur saepius raucitas insignis, quae rigiditatem ligamentorum laryngis, a nervi accessorii Willisiani passione, caussa proxima hujus morbi, ortam indicat.<sup>39)</sup> Lepra nodosa fere semper primo stadio solebat organa vocis afficere: oriebatur enim raucitas, adeo solemnis, ut cantare juberent aegros medici ad internoscendam lepram.<sup>40)</sup> Satis denique vulgaris est observatio, quod nimia pinguedine soleat vox rauca evadere et obtusa, cum in obesis hominibus et aliae partes et haec praeprimis adipe oppleantur, et vox ipsa debilitetur.<sup>41)</sup> Nihil obest, eunuchos retinere acutam suam et claram vocem, licet obesi evadant<sup>42)</sup> In his enim hominibus teneritudo ligamentorum habitualis adest, quae rationem certam quamdam habet cum partibus genitalibus. Adeps autem has partes vel non obsidebit, vel tamen non impediet aequam ligamentorum tensionem.

In morbis vero acutis vox rauca signat aut statum inflammatorium organorum vocalium, eumque saepius

<sup>39)</sup> Hillary's Beobachtungen über die Krankheiten auf Barbados, S. 298.

<sup>40)</sup> Hensler über den Aussatz, S. 138.

<sup>41)</sup> Ang. Fried. Walther de obesis et voracibus p. 6. (4 Lips. 1734.)

<sup>42)</sup> Schreiber almagest. medic. p. 354 etc.

saepius malignum, aut aridatatem sive spasticos laryngis affeetus, quibus haudquaquam bonus morbi exitus praesagitur. Speciatim vero angina gangraenosa, ad varias febres exanthematicas et malignas accedens, hac raucitate fere perpetuo stipata incedit: quod in scarlatina fida multorum observatio docuit, <sup>43)</sup> quod etiam inde patet, cum post superatam ipsam anginam nonnunquam haec raucitas diu superfit. <sup>44)</sup> In morbi vigore excipi hanc raucitatem interdum aphoniam, docuit Brüningius. <sup>45)</sup> In variolis a ptyalismo saepius angina oritur, quae raucitatem hancce comitem habet. Malum inde praesagium formandum videtur. <sup>46)</sup>

Malum plerumque eventum ex raucitate in decursu febrium acutarum oborta praesagire licet, quod maxime

43) Fothergill's account of the fore-throat in *Lettom's* collect. of his Works, vol. I. p. 351. --- Withering in Sammlungen für praktische Aerzte, B. V. 2. p. 285. --- Bayley ib. B. VII. 2. p. 226. --- Lepecq de la Cloture Sammlungen von Beobachtungen; S. 72. 44.

44) Monroe in Samml. für prakt. Aerzte, B. V. 2. p. 196.

45) Constit. epid. Essend. p. 34.

46) Starke's Auszüge aus dem Tageb. des Jenaischen klin. Instit. S. 180. --- Hufeland's Bemerk. über die Blattern, S. 95. --- Reil in Juncker's Vorschlägen über das Verhalten in Pocken, S. 18.

maxime in febre putrida, dum simul clangosa vox esset, confirmavit *Riglerus*. 47) In febribus malignis alias generis, praesertim in atrabilaria constitutione, eodem modo malus eventus erit timendus. 48)

### §. 6.

## Vox clangosa.

Intelligo vocis sonum profundum, anxium, quasi ex fistili vase inani prorumpat, aut qualis auditur, si quis, caput in fistile vas immittens, loquatur. Producitur autem hic sonus convulsivis organorum vocalium motibus et ariditate eorum summa, quae, dum in decursu febrium remittentium contingit, signare fere semper summum periculum videtur. Hinc generatim pessimum praefagium ex voce clangosa formarunt *Hippocrates*, 49) *Cordronchius*, 50) *P. Alpinus*, 51) *Hollerius*, 52) Sarco-

47) Conflit. epid. Siles. p. 26.

48) Sarcone l. c. §. 366. Th. II. S. 98. --- Lepeceq de la Cloture Samml. von Beobacht. S. 143. 237.

49) Prorrhet. lib. I. n. 27. p. 50.

50) Lib. I. c. 15. p. 20.

51) Lib. III. c. 13. p. 230.

52) Commentar. in Cgac. praefag. p. 158.

*Sartorius* <sup>53)</sup> cum aliis. Si vero ad singula transeamus, metastasis materiei versus encephalum, atque inde exoriundam phrenitidem et furorem maniacum praesagierunt Coi medici. <sup>54)</sup> Spasmos deinde erumpere, si sonitus simul sit flebilis et lugubris, et oculi offuscentur. <sup>55)</sup> Post vomitus mere biliosos, maxime viridescentes, vox lugubris et clangosa mala praesertim putatur a magno *Hippocratis* commentatore. <sup>56)</sup> Apud Theodori ejusdam puerum, ex insolatione aegrotum, brevi ante mortem audiebatur vox clangosa, quae inflammationem encephali indigitare videbatur. <sup>57)</sup> Alius aegrae, Polemarchi uxoris, historiam narrans, comparat hunc sonum vocis cum voce engastrimythorum: angina, qua haec mulier laborabat, in capitibus affectiones metastaticas transibat. <sup>58)</sup> Similem sonum *Bonetus* <sup>59)</sup> animadvertit in aegro, convulsionibus vexato, ubi post mortem cerebri ventriculi sero accumulato repleti conspicie-

B 2 in oculi siccior bantur.

<sup>53)</sup> §. 366. Th. II. S. 93.

<sup>54)</sup> Coac. praeor. n. 99. p. 115.

<sup>55)</sup> Ib. n. 257. p. 145.

<sup>56)</sup> Galen. comment. in prorrhet. lib. I. p. 176.

<sup>57)</sup> Hippocrat. lib. VII. epidem. p. 315.

<sup>58)</sup> Ib. p. 314.

<sup>59)</sup> Sepulcr. lib. I. sect. 22. obs. 15. p. 470.

bantur. In angina gangraenosa et variolosa simul ad-  
est clangosa vox cum raucitate, et malum semper even-  
tum timere jubet. Non tamen deest casus, ubi ab  
accidentalibus caussis, e. g. ex carminatione canna-  
bis et pulveris inhalatione, fuerit ea ariditas produc-  
ta; quam exceptit clangofus vocis sonus. <sup>60)</sup>)

### §. 7.

#### Vox acuta.

Acutus vocis sonus majori chordarum vocalium tensione, vel, si mavis, coarctationi insigniori glottidis debetur. Quidquid itaque irritat magis chordas vocales tensionemque earum auget, et vocem potest acutam producere. Vulgaris est observatio, hypochondriacos homines et mulieres hystericas vocem edere acutam, imo stridulam, quae paroxysmos imminentes annunciare solet. Deinde angina fere semper acuto vocis sono juncta est, qui ubi acutissimus et stridulus fit, perniciosum indicat eventum. Hinc in laryngitide ad variolas malignas accidente acuties vocis, seu oxyphonia pessimum efficit praesagium. <sup>61)</sup> *Boerhaavius* subitaneam mortem hinc observavit,

cum

<sup>60)</sup> *Morgagni* de sed. et caust. morb. ep. VII. n. 13. p. 93.

<sup>61)</sup> *Reit* in *Junckers* Vorschlägen über das Verhalten in Pocken, S. 17, 18.

— — ○ — —  
cum juvenem haud opinato acute loquentem convivae crederent joci caussa hanc vocem affectare. 62)  
In febribus malignis oxyphonia cum feroci responsione phrenitidem signat, cum spasmi chordarum vocalium facillime transeant in totum systema. 63) Alio loco dicitur in his casibus hypochondria fere semper intro trahi: 64) quod quidem ex diaphragmitide aut pleuritide vehementi explanare sibi sumit optimus Hippocratis commentator. 65)

### §. 8.

## Vox pipiens seu rudens.

Peculiaris ille sonus, quasi galli juniores pipiant aut quasi asinus rudat, pendet plerumque ab infarctibus laryngis et asperae arteriae, ut et a spasmis validioribus, quibus organa vocalia afficiuntur. Observatus est hic sonus, tanquam exitiosum signum, in variolis malignis a Reilio nostro 66), qui symptoma

62) Swieten comm. in Boerb. aphor. 302. vol. II. p. 658.

63) Coac. praeonot. n. 51. p. 107.

64) Prorrh. lib. I. n. 45. p. 50.

65) Galen. comm. in prorrh. lib. I. p. 184.

66) Im Anhang zu Junckers Vorschlägen, S. 27.

tomia credit laryngitidis perniciose' ad variolas accidentis. Inprimis vero adeo soleme est symptoma anginae polypose, ut characteristicum exhibeat et quasi pathogomonicum hujus morbi signum. Inspiratione enim specifico hoc sono, quasi asinus rudat aut gallus junior pipiat, est nupta: in quibusdam autem subjectis tantum auditur, cum clamant aut tussunt<sup>67)</sup>. Idem sonitus est nota characteristicae tussis convulsivae, ubi quoque sub inspiratione auditur<sup>68)</sup>.

### §. 9.

## Aphoniae definitio.

Adgredior jam singularem illum ac satis celebrem vocis defecum, quem sub  $\alpha\varphiωνιας$  nomine antiquitas tantopere celebravit. Etenim intelligo sub hac voce non mutitatem quamdam, seu impotentiā loquendi, quippe quae saepius, salva voce, adesse potest. Dolendum autem est, quod veteres, in primis graeci, plerumque utrumque vitium commutaverint, cum mutitas proprie  $\alpha\lambdaωλιας$  nomine fuisse insignienda. Multo magis autem dolendum,

quod

67) Michaelis de angina polyposa, p. 10 f. — Chambon in Samml. für präch. Aerzte, B. XV. S. 548.

68) Danz Gesch. des Keichhusens, S. 25. — Harrison diss. de pertusifl., p. 18. (4. Goett. 1793.)

quod saepius aphoniā cum ipsa apoplexia confudere  
int: iure enim suo *Ballonius* jam afferuit, non solum  
apoplexiā, sed etiam carum, lipothymiam,  
imo catalepsin ipsam veteres Graecos nomine ἀφωνίας  
comprehendi<sup>69</sup>). Hinc Hippocratis effatum de  
respirationis seu spiritus concitata et praecepiti eli-  
sione, tanquam pessimo aphoniae signo<sup>70</sup>, pertinet  
proprius ad apoplexiā, quod *Sprengelius* nuper  
uberius docuit<sup>71</sup>).

Ratio hujus symptomatis explicatur ex impe-  
dito vis nerveae influxu in organa vocalia, aut ex  
labefactata penitus vi vitali, quae obest, quominus  
exercere actiones suas organum vocis rite possit.  
Cum autem copiosa sit, atque arcte iuncta cum re-  
liquis partibus corporis hujus organi sympathia, plu-  
res etiam aphony totius systematis affectus signat.  
Jam in singula transeamus.

### §. 10.

#### Aphonia ab organicis vitiis.

Vocis defectus, qui casum graviorem cum spi-  
nacē dorsi adlitione sequitur, satis vulgaris est. Ob-  
ser-

<sup>69</sup>) Consil. med. lib. II. conf. I. p. 7. 8.

<sup>70</sup>) Porphy. lib. I. n. 25. p. 48. — Coac. praenot. n. 252. p. 144.

<sup>71</sup>) Apologie des Hippokrates, Th. I. S. 394.

servabatur jam ab Hippocratico auctore 7<sup>2</sup>) et a Galeno 7<sup>3</sup>); confirmatur a nuperioribus scriptoribus 7<sup>4</sup>). Vulnera colli vocem suppressunt, praesertim dum nervum accessorium Willisi laedunt, qui intime cum pare vago cohaeret. 7<sup>5</sup>) Luxationibus vertebrarum colli accedit aphonya cum deglutitione difficulti, quia nervi cervicales contorti simul agunt in accessorium Willisi et ganglion ejusdem pharyngeum atque laryngeum. 7<sup>6</sup>) Hanc speciem aphoniae, quam veteres justo frequentiorem assumserunt, negarunt ac rejecerunt oratione nuperiores scriptores, observavit revera Swietenius. Celeberrimum praeterea est illud experimentum, quod Galenus coram insigni hominum coetu instituere solebat, ubi nempe, nervo recurrente alterutro revincto, compresso aut discisso, vox supprimebatur, utroque autem transcisso tota amitterebatur. 7<sup>7</sup>) In homine similis eventus ab eodem

7<sup>2</sup>) Lib. VII. epidem. p. 327.

7<sup>3</sup>) De loc. affect. lib. I. p. 256.

7<sup>4</sup>) Wedel et Schelhammer de voce, p. 33.

7<sup>5</sup>) Schelhammer ars medend. univers. vol. II. p. 217. (14. Wisn. 1747.)

7<sup>6</sup>) Galen, loc. affect. lib. IV, p. 291. — Swieten comm. in Boerbaev aphor. 818. p. 704. — Frank de rachit. adult. in delect. opusc. vol. v. p. 304.

7<sup>7</sup>) Galen, de dogmat. Hippocr. et Platon. lib. II. p. 258. — administr. anat. lib. VIII. p. 159.

dem auctore obſervatus, <sup>78)</sup> a recentioribus ſcriptoribus conſirmatur. <sup>79)</sup> Inflammata laryngis tunica interna: <sup>80)</sup> fissa cartilago thyreoidea, <sup>81)</sup> ulcus epiglottidis et asperae arteriae <sup>82)</sup> tranſeunt denique in vocis plenarium defectum, cum his omnibus cauſis ſupprimatur regularis organi vocalis actio. Subitanam mortem aphonia praecedit, quae ex aneurysmate aortae, deinde eroſae, ortum duxerat. <sup>83)</sup> Ex glandulis pharyngis et laryngis carcinomatofis, glandula maxillari autem indurata, videtur alioquin orta fuſſe aphonia letalis. <sup>84)</sup> Ex enormitate cordis et hydrope pericardii ſequebatur vocis defectus cum cordis palpitatione affidua. <sup>85)</sup> Uleus pulmonis aut pericardii tale, quo nervi a recurrente orti intercipiuntur, occaſionem praebet ut vox aboleatur. <sup>86)</sup> Fracturam coſtarum nonnunquam accusari debere haudquam abfonum videtur. <sup>87)</sup> Sic quoque commotio-

nes

78) *Galen.* de loc. affec. lib. I. p. 257.

79) *Haller* elem. physiol. vol. VIII. p. 408. 409.

80) *Galen.* de loc. aff. l. c.

81) *Ephem.* natur. curios. dec. III. ann. 2. obſ. 136.

82) *Duncan chymiae natur. specim.* p. 197. (8. Hag. 1707.) — Mém. de l'acad. de chirurg. vol. I. p. 2. p. 184. 195.

83) *Morgagni* de ſedib. et cauſis. morb. ep. XXVI. art. 3. 267.

84) Ib. ep. XXVIII. art. 9. p. 11.

85) Ib. ep. XXVII. art. 21. p. 56.

86) *Portal* in Samml. für praet. Aerzte, B. X. p. 426.

87) *Codronch.* l. c. lib. I. c. 17. p. 82.

nes cerebri aphoniam letalem haud raro producunt. <sup>88)</sup>)

§. II.

**Caussae aphoniae accidentales.**

Saepius caussae externae ea violentia in corpus agunt, ut vires subito supprimant et cessationem periodicam omnium functionum producant. Tali itaque modo vox et loquela quoque aboleri debent. Quod animi affectibus hoc in primis efficiatur, vulgaris observatio docet. Ut autem veteri historia hoc confirmemus, *Valerius Maximus* <sup>89)</sup> audiendus, qui sequentia narrat: „Nausimenis Atheniensis uxor, cum filii ac filiae suae stupro intervenisset, inopinati monstri perculsa conspectu, et in praefens tempus ad indignandum et in posterum ad loquendum obmutuit. Illi nefarium concubitum voluntaria morte pensarunt. Hoc modo fortuna saeviens huic vocem, iis vitam ademit, illi propitia donat. „ Hinc *Zimmermannus* merito ex terrore et aliis vehementioribus pathematibus posse aphoniam oriri, monet. <sup>90)</sup> Ex terrore post levem digitii vulnerationem observavit *Forestus*; <sup>91)</sup> post levem pedis dolorem, forsan quoque

88) *Morgagni* ep. LI. art. 2. II. p. 57. 61.

89) Factor. dictor. memorab. lib. I. c. 8.

90) Von der Erfahrung, B. IV. K. II. S. 551.

91) Lib. XIV. obs. 88. p. 683.

que ex terrore aut metu *Dupaus* <sup>92)</sup> — aphoniam. Ebrii non raro aphonya laborant, <sup>93)</sup> unde menyngum inflammatio et ipsa mors sequi possunt. <sup>94)</sup> Aphonya, quae in hominibus torturae subjectis nonnunquam occurrit, oritur a traditione sympathica nervorum recurrentium et praesertim a tensione praeternaturali nervi accessorii Willisi. Vedit *Sauvagesius* miserum ex duriori tortura non solum obmutuisse, sed etiam omnem sensum amississe, cum rigiditate et vibratione spasmatica totius corporis, maxillae constrictione et dein febre acuta, quae omnia diem integrum perseverarunt, metuente iudice, ne mors supplicium ultimum praeverteret. <sup>95)</sup> Ex abusu *nerii oleandri*, veneni narcotici, <sup>96)</sup> et ex mephiticis vaporibus latinarum <sup>97)</sup> haud raro obortae sunt aphoniae, quae in asphyxiā transibant.

Huc denique pertinet historia mulieris illyricaē, quae a monacho contra scabiem mercurium sublimatum acceperat: ex cuius remedii abusu rauca pri-

mum

91) *Hufelands Annalen der franz. Arzneyk.* B. I. S. 195.

93) *Hippocr. aphor.* V. 5.

94) *Bonet. sepulcr. lib.* I. sect. 22. obs. 8. p. 469. — *Morgagni* ep. XIV. art. 35. p. 218.

95) *Nosol. method.* vol. I. p. 776.

96) *Morgagni* ep. LIX. art. 12. p. 227.

97) *Ib.* ep. LXII. art. 5. p. 279. — *Halle in Scherfs Beyträge zum Archiv der medic. Policey,* B. I. Samml. 2. S. 109.

mum fiebat, deinde vocem penitus amisit, neque unquam recuperavit. 98)

§. 12.

Aphonia in chronicis morbis.

Debilitas totius systematis producit et hanc vocis suppressionem, quae si ad morbos graviores accedit, malum ominatur eventum. Post apoplexiam praesertim superstes aphonia indicat vel mortem instantem vel recidivam brevi imminentem vel longum morbum futurum. 99) Vocis defectus quoque morbum hystericum signat, quo spasmi laryngis vocem penitus supprimentes producuntur. Paroxysmi hysterici saepius hoc symptomate stipantur. 100) Plethora nimis commota in quibusdam subjectis irritabilitate justo majore gaudentibus, praesertim menstruis suppressis, eodem modo excitare potest aphoniā, facile evanescentem, si idonea modo remedia antiphlogistica et venae sectio administrantur. Alias transit in apoplexiā. 1) Quod infarctus abdominales eum

98) *Amat. Lusit.* cent. II. curat. 70. p. 192. (fol. Basil. 1556.)

99) *Morgagni* ep. XI. n. 15. p. 153. --- *Gorter* prax. vol. II. lib. II. n. 314.

100) *Sauvages* vol. I. p. 777. --- *Van der Hout*, in Samml. für pract. Aerzte, B. IX. S. 387.

1) Lib. VII. epidem. p. 331. --- *Zacut. Lusit.* prax. mir. lib. II.

eum possint in nervos viscerum stimulum excitare, qui, propagatus ad accessorium Willisii, ope intercostalis magni, vocem supprimat, egregia docet Kämpfii observatio <sup>2)</sup>). Melius aphoniam in cachexia verminosa saepius occurrens ex stimulo arrodentium intestina vermium, explicatur <sup>3)</sup>). A vermis ortam aphoniam, quae simul alvi excretionem involuntariam producat, pessimam esse, bene monet Swietenius <sup>4)</sup>). Idem symptoma observavit gallicus medicus insignis in epidemia verminosa putrida, quae per regionem Gros-Theil graffabatur: fugabatur nonnunquam purgantibus aphoniam <sup>5)</sup>.

Quod colicam saturninam, seu rachialgiā metallicam interdum comitetur, ex eodem commercio plexum intestinalium cum accessorio Willisii explicari posse videtur <sup>6)</sup>). Sic quoque in phthisi pulmonali quandoque aphoniam occurrit, a consumptione earum pulmonis partium pendens, quas percurrent ner-

vi

II. c. 8. obf. 3. pag. 330. --- Hoffmann med. rat. syst. Tom. IV. p. IV. c. 7. §. 7. p. 177. --- Gesners Beobacht. Th. III. S. 181.

2) Von den Krankheiten des Unterleibes, S. 174. 452.

3) Alpin de prælag. vita et morte, lib. III. c. 13. p. 233. --- Hoffmann l. c. Baldingers neues Magazin, B. X. S. 41.

4) Comm. in Boerh. aph. 1364. Vol. IV. p. 714.

5) Lepecq de la Cloture Anleitung für Aerzte, nach hippokratischen Grundsätzen zu beobachten, S. 275.

6) Haen's Heilungsmethode, B. I. Th. III. K. 2. S. 284.

vi recurrentes aut plexus pulmonalis rami cum gan-  
glio laryngeo cohaerentes. 7)

§. 13.

### Aphonia febrilis.

Suppressio et abolitio vocis in morbis acutis vel  
obsessa ab heterogenea materie organa vocalia accusat,  
vel primitus exhaustas vires naturae supponit, quae  
his praesertim partibus magis manifestantur. Obser-  
vata est aphonia, sub cuius larva febris intermittens  
incedebat, quarto aut quinto paroxysmo letalis <sup>8)</sup>). Sic  
pernicioса animadversa est aphonia, quae in primo  
insultu pestis aegrum adgrediebatur <sup>9)</sup>, quae aegros,  
epidemia putrido-nervosa Halensi correptos, afficie-  
bat, <sup>10)</sup> quae ad febreм putridam, quamvis cum  
conscientia et bono auditu, accedebat <sup>11)</sup>). Perni-  
ciem annunciat, quae in anginosa muliere post con-  
vulsiones cum sfortore occurrebat, <sup>12)</sup> quae cum brevi  
et intercepto spiritu ad febres acutas accedebat <sup>13)</sup>,  
quae cum comatosis affectibus, livore extremitatum,

7) Bonet. sepulcr. lib. I. sect. 22. obs. 13. 14. p. 470.

8) Werlhof observ. de febr. p. 57. Opp. ed. Wicmann.

9) Russel über die Pest. B. II. S. 256. 237. 324.

10) Reil memorab. clin. vol. I. fasc. 1. p. 9.

11) Glibert's Beobachtungen, S. 155.

12) Hippocr. lib. V. epid. p. 255.

13) Hippocr. lib. III. epid. sect. 3. aeg. 3. p. 123.

frigidis sudoribus stipata erat<sup>14</sup>), quae cum deliriis  
ferocibus apud phreneticum praecesserat palpitationes  
totius corporis<sup>15</sup>), quae post phrenitidem cum soporo-  
roso statu apparebat<sup>16</sup>).

Hinc facilius intelliguntur aphorismi copiosi,  
quos circa aphoniam schola Coa promulgavit: quorum  
praincipiū sunt sequentes.

“Aphonia cum paralyſi aut debilitate universali,  
“pessima,,<sup>17</sup>).

“Quicunque voce, simul cum febre, destituun-  
“tur, neque ulla crisis sequitur, tremebundi moriun-  
“tur,<sup>18</sup>).

“Quicunque cum ecſtasi et convulsivis motibus  
“vozem amittunt, diem supremum obeunt,,<sup>19</sup>).

“Aphoniae post dolores acerbos pernicioſae,,<sup>20</sup>).  
Cum enim vires doloribus consumtae non sufficiant ad  
vozem edendam, atonia universalis, haud removenda,  
sequitur.

“Ca-

14) Hippocr. lib. I. epid. aeg. 1. p. 42.

15) Hippocr. lib. III. epid. feb. 3. aeg. 4. p. 186.

16) Hippocr. lib. VII. epid. p. 323.

17) Coac. praeſnot. n. 245. p. 144. --- Prorrhet. lib. I. n. 14. 96.  
p. 48. 55.

18) Coac. praeſnot. n. 247. p. 144. --- Prorrhet. lib. I. n. 91. p. 54.

19) Coac. praeſnot. n. 248. p. 144. --- Prorrhet. lib. I. n. 54. p. 51.

20) Coac. praeſnot. n. 249. p. 144. --- Prorrhet. lib. I. n. 55. p. 51.

“Catochi cum debilitate et vocis defectu con-  
“gruentes, perniciem praesagiunt „<sup>21</sup>).

“Aphoniae post rigores et frigus totius corporis,  
“cum ecstasi, levi sudatione et cervicis doloribus,  
“letales „<sup>22</sup>).

“Aphonia cum singultu letalis „<sup>23</sup>).

Exstant tamen non paucae observationes de haud tam malo, sed ambiguo tantum morbi exitu, qui vocis defectu jungitur. Auctor appendix, quae ad librum *de vietis ratione in morbis acutis accessit*, arbitratur, aphoniā, die decimo quarto febris accidentem, chronicum morbum praesagire, neque unquam bonam inde crisi posse exspectari <sup>24</sup>). In initio morbi acuti non semper mala est aphonia, cum saepius tantum orgasmum nimium humorum et irritabilitatem iusto majorem indicat, quod, praeter *Hippocratem* <sup>25</sup>) in historia mulieris, quae ad litus decumbebat, *Tulpius* quoque expertus est <sup>26</sup>). Egregia historia, quam nobis Hippocrates <sup>27</sup>) de aphonia mere biliosa reliquit,

<sup>21</sup>) Coac. praeon. n. 250, p. 144. --- Prorrhēt. lib. I. n. 96. p. 58.

<sup>22</sup>) Coac. praeon. n. 1. p. 100, n. 255, 256. p. 145.

<sup>23</sup>) Prorrhēt. lib. I. n. 23. p. 48.

<sup>24</sup>) Sp̄engel's Apolog. des Hippokr. Th. II. S. 466.

<sup>25</sup>) Lib. I. epidem. aeg. 13. p. 67.

<sup>26</sup>) Observ. lib. I. c. 39. p. 72.

<sup>27</sup>) Lib. V. epidem. p. 244.

quit, proprie hoc pertinet: "Hermophili filius aegrotavit undecim dies: febris autem tenebat ipsum et non descendebant cibi. Primum quidem deliravit, nocte autem cessavit: sequenti die sine voce jacebat stertens, distortos habens oculos, febricitans. Penna vero immissa, vomuit bilem atram, et clystere immisso sterco multum subiit.,"

Imo vero critica est haec vocis amissio observata. Sicut enim oppressio nervorum haud raro a naturae viribus pendet, cum hae aliter elaterem quasi suum exercere non possint, neque activae nimis esse, nisi prius ad tempus supprimantur; ita etiam vox amissa quandoque bonam crisin praesagire potest. Dum praesertim ad aphoniam cum rigore tremores accedant, solvi inde morbum, vetus jam effatum afferit<sup>28)</sup>). Vere criticam animadvertisit aphoniam Hippocraticus auctor in historia aegritudinis, quae tamen non tota ac integra videtur ad nos pervenisse. Etenim haec est: "Theoclis affinem, quae superne habitabat, sub vergilias febris acuta prehendit: sexto desississe visa est: lavit, tanquam desisset. Septimo gena valde rubuit; utra, non memini. Sub vesperam febris multa contigit, et animi ac vocis defectio aderat: neque vero multo post sudor ac cessatio a morbo per septem dies,"<sup>29)</sup>.

### §. 14.

<sup>28)</sup> Coac. praeon. n. 27. p. 104.

<sup>29)</sup> Lib. VII. epidem. p. 312.

## §. 14.

**Mutitas ab organicis vitiis.**

Functio linguae pessumdat a caussa quacunque nerveae vis influxum in organum loquelae impediente. Simul tamen vox superstes esse potest, imo saepius supereft, suppressa penitus loquela. Quidquid itaque lingualem medium nervum vel immediate comprimit actionemque ejus impedit, vel eum omnino destruit, id potest loquelandam perdere.

Per se quidem primum patet, sublata lingua, deficiente eadem, aut a malignis humoribus exesa, tollit etiam loquelandam<sup>30</sup>). Hinc mutitas orta est ab ulceribus variolosis, quae totam linguam consumferant<sup>31</sup>). Nonnunquam loquela denique parumper restituebatur, vices linguae uvula aut velo pendulo gerentibus<sup>32</sup>).

Non raro calculi in ductibus salivalibus coagimentati eam pressionem in ramos nervi lingualis medii exercent, ut ejus actio penitus supprimatur. Haec singularis mutitatis et loquelae difficilis caussa, ab Arabe *Ebn Zohr* primo descripta,<sup>33</sup>) nuperiorum auctorum observationibus confirmatur.<sup>34</sup>)

## §. 15.

<sup>30</sup>) *Manger* bibl. med. praet. p. 748.

<sup>31</sup>) *Schenck a Graffenberg* obseruat. med. lib. I. p. 194.

<sup>32</sup>) *Anrran* elinguis feminae loquela, diss. Argent. 1766.

<sup>33</sup>) *Avenzoar* theisir, lib. II. tr. 2. c. 2. f. 25. d. (fol. Venet. 1496.)

<sup>34</sup>) *Forrest*, lib. XIV. obs. 26. p. 467. --- *Plater* prax. med. tom.

## §. 15.

## Mutitas accidentalis.

Exstant observationes de celerius oborta et iterum evanida mutitate, cuius caussa plane latebat. Vifus sic est a *Fernelio*, cui leviore ex caussa biduum triduumve loquela adimeretur, moxque repente et inopinato redderetur, et qui saepius ex intervallis et circuitibus modo loqueretur, iam mutesceret, integre fano corpore <sup>35)</sup>). Similem omnino historiam narrat *Platerus* his verbis: "Memini excellentem medicum, "Theodorum Zwingerum, compatrem meum et col-  
"legam, cum in schola parentis mei, Thomae Plateri,  
"communis nostri praeceptoris, versaremur, aliquo-  
"ties ita obstupuisse, ut ne verbum quidem, etiam  
"cum comminatione interrogaretur, respondere potue-  
"rit, et sic mutum et attonitum domum rediisse.,, <sup>36)</sup>)

Quod praesertim ex indignatione vehementi fre-  
quenter homines obmutescant, vulgaris est observatio,  
illustrata a *Stollio*. <sup>37)</sup> Narcotica, nimirum opium,  
daturam et hyoscyamum perperam usurpata nonnun-

C 2

quam

tom. II. c. 7. p. 280. --- *Schenck a Graffenberg* lib. I.  
p. 192. --- *Journal de médec.* vol. XXIII. p. 453. --- *Abraham-  
son in Meekels Archiv für praktische Arzneik.* B. I. S. 67.

<sup>35)</sup> *Fernel.* univers. medic. lib. V. c. 9. p. 544. (8. Fr. 1593.)

<sup>36)</sup> *Ferd. Plater* prax. med. tom. I. c. 4. p. 350.

<sup>37)</sup> *Rat. med.* vol. IV. p. 435.

quam produxisse mutitatem, docet *Sauvagesius*<sup>38)</sup>.

§. 16.

Mutitas in statu chronicō.

Frequentissima forsan species hujus vitii ea esse videtur, quae a paralyſi linguae post apoplexiā oborta producitur, plerumque cum memoriae defectu iuncta.<sup>39)</sup> Singularem plane observationem, circa hanc mutitatem, nobis reliquit *Sauvagesius* de muliere eo modo muta, ut preces tantum suetas posset pronunciare, aliarum autem vocum ne syllabam quidem.<sup>40)</sup> Eamdem paralyſin linguae cum mutitate observavit *Abrahamsonius*,<sup>41)</sup> tanquam sequelam et scabiei repulsae et metaſtaseos laetis: posterior urina laetea ſolvebatur. In laetatione nimia dicitur mutitas ortum a praeternaturali ſiccitate duxiſſe.<sup>42)</sup>

Hystericus morbus nonnunquam eumdem effectum prodiſit. Vidiſt *Tulpinus* feminam manifesto hystericam obmutescere, quae feroci humoris immensam copiam ex oris et narium cavitatibus profunderet, et

con-

38) *Nofol. method.* vol. I. p. 777.

39) *Forſet.* lib. X. obs. 86—88. p. 629. — *Schenck & Graffenb.* lib. I. p. 191.

40) l. c. p. 776.

41) *Meckel's Archiv*, B. I. S. 69.

42) *Sauvagesi*, c. p. 777.

convulsivis interdum motibus torqueretur. 43) *Blochius* hanc mutitatem in hysterica muliere vesicatorio fugavit. 44) *Whyttius* eamdem loquelae amissionem vidit in muliere, quae post suppressa menstrua hysterics affectibus laboraverat. 45)

A meris sordibus gastricis, biliosis, 'haud raro pendere ejusmodi mutitatem, *Mosederi* docet obseratio, 46) qui emetico unico, signis sordium turgentium indicato, hoc vitium sustulit. Infarctus pituitos, vermis in primis iunctos, loquela supprimere faepius, patet ex egregiis *Rigleri* 47) et *Hufelandii* 48) observationibus. *Forestus* vidit hanc passionem sola plethora productam, quae scarificationibus tantum curabatur. 49)

Nonnunquam oritur a metastasi melancholicorum humorum versus superiora, quod *Hippocrates* observavit. 50) Hunc locum illustrarunt *Brendelius* 51)

et

43) *Tulp.* observ. med. lib. I. c. 40. p. 73.

44) Medic. Bemerk. S. 45.

45) Prakt. Schriften, S. 409.

46) *Gesner's Entdeckungen*, B. III. S. 314.

47) Constit. epidem. Siles. p. 140,

48) Ueber die Vorzüge der Inoculation, und versch. Kinderkrankh. S. 334.

49) Lib. XIV. obs. 33. p. 493.

50) Aph. VII. 40.

51) Opera vol. I. p. 184.

et *Sprengelius*.<sup>52)</sup> A nimio dolore pendet mutitas, qua homines in paroxysmo prosopalgico laborant: consulto saepius tacent, qui, vel minimo linguae motu dolorem vehementer exacerbari, experti sunt; saepius vero etiam natura ipsius morbi hunc affectum excitat.<sup>53)</sup>

## §. 17.

## Mutitas febrilis.

In febris hydrocephalicae tertio stadio frequenter occurrit mutitas cum insensibilitate oculorum, vigore tamen auditus, unde malus eventus potest praesagiri.<sup>54)</sup> Deinde comitatur hic effectus febres malignas, atque idem tunc valet de mutitate, quod de aphonia diximus. Exstant denique observationes de periodica natura mutitatis, ubi sub hac larva febris intermittens latebat,<sup>55)</sup> aut ubi febres tertianas malignas comitabantur.<sup>56)</sup>

## §. 18.

52) *Apolog.* des Hippokr. B. II. S. 206.

53) *Simon* diff. de prosopalgia p. 9. (8. Hal. 1793.)

54) *Odier* in Samml. fur prakt. Aerzte, B. IX. S. 331. — *Ziegler's Beobacht.* S. 46. — *Hufeland* über die Vorz. der Inoculat. und versch. Kinderkr. S. 356.

55) *Medicus* Gesch. der period. Krankh. S. 92.

56) *Cleghorn's* Beschr. von Minorca, S. 169.

## §. 18.

## Balbuties.

Adest hoc vitium loquelae, quoties exprimi atque pronunciari rite verba nequeunt, sed repetuntur syllabae singulae aut elementa vocum celerius, donec tandem verbum proferatur integrum. Ratio ejusdem posita est in impedimentis quibusque, quae libero linguae motui obstant, ut et in atonia et debilitate nervi lingualis medii ipsius.

Balbutiunt plerumque *ancyloglossi*, seu quibus lingua nimis est adstricta,<sup>57)</sup> quod vitium post ulcera linguae et ex fraenuli nimis firma adhaesione oriri solet.<sup>58)</sup> Producitur quoque a ferosa colluvie, quod *Bonetus*<sup>59)</sup> experientia et praesertim inventa cystide in cerebro fero repleta confirmavit. Hinc *Hippocratis* aphorismus,<sup>60)</sup> balbutientes alvi fluxibus esse obnoxios. Quaevis insuper congestio valida versus superiora gignit nonnunquam eumdem affectum. Vulgaris satis est observatio, quod ebrii balbutiant. Quodsi autem homo ceterum fanus absque

57) Holder elements of speech, p. 76. (8. Lond. 1669.)

58) *Forstl.* lib. XIV. obs. 30. p. 482. — *Schenk a Graffenb.* lib. I. p. 191.

59) Sepulcr. lib. I. sect. 12. obs. 20. p. 473. obs. 20. p. 473. obs. 24. p. 474.

60) Aph. VI. 32.

que caussa manifesta balbuties incipit, symptoma nervosum; et praeprimis apoplexia aut aphonia est exspectanda; <sup>61)</sup> quod antiquus ille Hippocraticus auctor in *Hermoptolemi uxore* vidit. <sup>62)</sup>

In febre flava Americana perniciosum eventum timere poteris, quoties aeger incipit balbutire. <sup>63)</sup> In febre intermittente verminosa eundem malum extum inde praedixit *Graingerius* <sup>64)</sup> In initio pestis terrificum symptoma, quo apparente subito tollitur aeger. <sup>65)</sup> In initio variolarum orta balbuties pessimum eventum metuere jubet. <sup>66)</sup>

### §. 19.

#### Alia loquelae vitia.

Difficultas loquelae generatim considerata eadem supponit linguae vitia, eademque obstacula vis nerveae influxum in lingualem medium impedientia, quae et balbutiem et mutitatem producunt. Tumor linguae inflammatorius cum enormitate hujus organi junctus necessario loqueland magnopere debet impedire, quod egregiis observationibus illustravit *Hayes*. <sup>67)</sup> Eam-

dem

61) *Sprengels Apologie des Hippokr.* Th. II. S. 106.

62) Lib. VII. epidem. p. 309.

63) *Hillary tiber Barbados*, S. 179.

64) Hist. febr. anomal. Batav. p. 169.

65) *Rußel über die Pest*, B. II. S. 298. 338.

66) *Hufeland Bemerk. über die Blattern*, S. 96.

67) *Abhandlungen der medic. Gesellsch. in London*, B. II. S. 232.

dem difficultatem loquela cum exulceratione et sequente apicis linguae regeneratione vidit nuper bonus observator. <sup>68)</sup> Crassitudinem linguae enormem imo glossitidem veram, tanquam sequelam anginae, post blennorrhoeam virulentam ortae, vidi, ceu caussam loquela difficultimae, immortalis *Morgagnius*. <sup>69)</sup> Loqueland difficultem, quasi os totum pulte fuerit repletum, observaverunt medici Halenses in epidemia variolosa, ubi angina maligna accederet, <sup>70)</sup> et *Staubius* <sup>71)</sup> in febre putrida nervosa.

Saepius loquela difficultas haudquaquam in topicis et organicis vitiis versatur, sed pendet a debilitate nervorum generali, atque convulsivis motibus, quae ad atoniam systematis nervosi accesserunt. Tali modo explicatur loquela difficultas in enteritide, ad cuius summum gradum saepenumero convulsivi affectus se adjungunt. <sup>72)</sup> In febribus miliaribus malignis praegreditur loquela difficultas delirium et affectus alias a metaftasi versus sensorum commune pendentes. <sup>73)</sup>

Haud adeo periculosa est loquela difficultas quae sequitur infarctus pituitosos. Ex hoc enim fonte ob-

68) *Richters medic. chirurg. Bemerk.* K. XII. S. 166.

69) *De sed. et causs. morb. ep. XLIV.* art. 3. p. 435.

70) *Reil im Anhang zu Funcker's Vorschlägen*, S. 17. 18.

71) *Museum der Heilkunde*, B. I. S. 325.

72) *Morgagni ep. XXXIV.* art. 25. p. 90.

73) *Lepecq de la Cloture Saunl. von Beobacht.* S. 154.

observavit *Kämpfius* eam loquela, quam nemo intelligeret. 74) Sequitur nonnunquam arthritidem retrogradam, ubi gravem morbum designat 75). Remanet per menses post pestim superatam, ubi eamdem caussam supponit, quam illa, quae praecedit apoplexiā et a plethora pendet 76)

### §. 20.

## Specialis horum vitiorum partitio.

*Paralalia nasalis* (*Mycterocephonia Ploucqu.*) est loqua ingrata, cum vox narium resonitu destituitur, ubi itaque nares sunt obstructae nec permittunt aerem. - - Maxime vulgaris ratio hujus mali quaerenda est in catarrho seu coryza, ubi constricta vasa tunicae Schneideriane, oppleti sinus nasales sunt; ideoque vocis resonitus deficit. Deinde, proh dolor! satis vulgaris est caussa in ulceribus venereis quaerenda, quae vel tonsillas, vel uvulam, vel velum pendulum obsident, ideoque *nasiatatem* istam, saepius per totam vitam superstitem, producunt. 77) Uvula quoque nimis magna, aut corrupta, aut divisa; 78) tum etiam pa-

74) Von den Krankh. des Unterl. S. 452.

75) *Musgrave* de arthrit. c. 13. p. 110.

76) Lib. VII. epidem. p. 331. --- *Forest.* lib. XIV. obs. 31. p. 485.

77) *André* Abh. über die vener. Krankh. S. 141. --- *Hunter's* Abh. über die vener. Krankh. S. 549. --- *Nisbet's* Abh. von der Lufstleuche, S. 292.

78) *Pare* oeuvres, lib. VI. c. 14. p. 127. (fol. Lyon 1641.) --- *Ammann* furdus loquens, p. 119. --- *Storch's* Abh. von Kinderkrankh. S. 117.

palato destructio loquela nasalis producitur. <sup>79)</sup> Ab uvulae, tonsillarum et veli penduli corruptione pendet hoc vitium in angina gangraenosa, ubi a *Cloturio* animadversum est. <sup>80)</sup> A polypis narium et a sinibus maxillae superioris deficientibus nonnunquam producitur haec nasalis loquela. \*)

*Ischolalia* a balbutie ita differt, ut in illa supprimantur singulae vocis syllabae, aut singula elementa, et ut spastice saepius loquela intercipiatur. Talem audivit in angina maligna *Hirschelius*, <sup>81)</sup> audiverunt in glossitide et carcinomate linguae *Forstus* <sup>82)</sup> et *Schenkius*. <sup>83)</sup>

*Paralalia gutturalis* producitur, cum vocis sonus simul videtur ex intimis palati penetralibus venire. Saepius eadem occurrit in lue venerea consummata, cum palatum est destructum. <sup>84)</sup> A foramine veli palatini, fere insanabili, ubi tantum lamina argentea solerter apposita obturare poterat foramen et loqueland meliorem reddere, observavit *Sauvages*.

Si-

79) Ammann p. 109.

80) Anleitung für Aerzte, nach hipp. Grundl. zu beob. S. 122.

\*) *Sauvages* vol. I. p. 786. --- *Bonet* sepulcr. lib. I. sect. 24. obs. 19. p. 472.

81) Briefe über versch. Gegenstände der AW. II. S. 59. 60.

82) Lib. XIV. obs. 24. p. 459. 463. --- obs. 28. p. 474.

83) Lib. I. p. 188.

84) Ammann p. 109.

Similem lectu dignissimam historiam chirurgus nostri  
aevi praestans descripsit. <sup>85)</sup>

*Blaefitas* ( $\tau\varphi\omega\lambda\sigma\tau\eta\varsigma$ ) dicitur generatim id loquelae vitium, ubi R et L male pronuntiantur. <sup>86)</sup> Ideoque meo arbitrio hue etiam *rottacismus* et *lallatio* pertinent. Blaesi solent nimis frequenter lingua dentes allidere, ideoque K per D et T pronunciare: imo Saxonum elocutio, commutans B et P, D et T, et praesertim commutatio  $\tau\omega\varsigma$  S cum TH Anglorum, hue pertinere videtur. *Rottacismus* (das Schnarren. Le Grasseymen) quem haereditaria labie saepe conspicimus, ita efficitur, ut lingua maxillae potius inferiori quam superiori apponatur, dum R pronunciamus. — *Lamdacismus* (lallatio) repetit nimis frequenter L, duplicat idem elementum, more Hispanorum in LL, aut Lusitanorum in LH; quod quidem vitium cum rottacismo fere idem esse videtur, cum eamdem linguæ tarditatem supponat. Quicunque linguam nimis magnam habent, solent vel blaesi esse, vel rottacismo aut lamdacismo laborare. <sup>87)</sup> A dentium defectu male pronunciant quasdam literas et blaesi praesertim sunt senes edentuli et infantes. <sup>88)</sup> A labiis apud Americanos perforatis labiales literae male profe-

85) Siebold's chirurg. Tagebuch, n. XX. p. 153.

86) Galen. comm. in aphor. VI. 32. p. 308.

87) Ammann p. 110.

88) Ib. p. 39.

feruntur. <sup>89)</sup> Tο R male eloquuntur, quorum lingua nimis flaccida est, aut quorum musculi styloglossi (hyoglossi) atonia laborant. <sup>90)</sup> Sic quoque nimia linguae volubilitas malam του L pronunciationem et lallationem producit. <sup>91)</sup> Palato male formato, nimis plano in feminis, lallatio aut rottacismus promovetur. <sup>92)</sup> Quod morbos praesertim attinet, in quibus haec vitia oriuntur, tanquam symptomata; paralysis linguae aut rigiditas muscularum eam moventiam accusari possunt, quoties blaesitas adeat. In Hermoptolemi uxore antiquus ille auctor <sup>93)</sup> observavit brevi ante mortem blaesitatem cum raucitate. Lamdacismus civis cuiusdam Leodiensis post melancholicum fureorem et aphoniā oriebatur: cerebrum sicitate laborans cadavere secto apparebat. <sup>94)</sup> Alius το R proferre nequivit, cui sinus maxillae superiores deerant. <sup>95)</sup>

*Batracholaliā* eum appello loquelaē affectū, quo voces cum sonitu peculiari, quasi coaxantium ranarum, proferuntur. Oritur hoc vitium ex tumore singulari

89) Ammann p. 56.

90) Ib. p. 112.

91) Ib. p. 113.

92) Holder elements of the speech, p. 76.

93) Lib. VII. epidem. p. 309.

94) Bonet sepulcr. lib. I. sect. 22. obs. 7. p. 469.

95) Ib. obs. 21. p. 473.

singulari sub lingua qui nomine *ramulae* insignitur.  
 "Cette tumeur, inquit *Paraeus*, est appellée grenouille,  
 "lette, pour ce que les patients difficilement peuvent  
 "articuler et interpreter leur langage, sinon en gre-  
 "nouillant. 96) Tumor iste sublingualis, materie albu-  
 minosa, glutinosa repletus, apud infantes magis quam  
 apud adultiores vulgaris, nondum accurata inquisi-  
 tione dignus habitus est. Ductus salivales fere semper  
 sedem esse hujus cystici tumoris credit *Acrelius* 97)  
 apud quem videsis egregias hujus affectus observatio-  
 nes. A metastasi ortam esse hanc ranulam femel anim-  
 advertit *Bartholinus*. 98) Apud *Sieboldum*, 99)  
*Schmuckerum* 100) et *Wepferum* 1) similes repe-  
 ries observationes.

96) Oeuvres, lib. VIII. ch. 5. p. 188.

97) Chirurgiska Händelser, anmärkta och samlade uti kongl. Lazaretet, n. XXX. p. 124.

98) Histor. anatom. rar. cent. I. hist. 88. p. 142. (8. Hafn. 1656.)


99) Chirurg. Tagebuch, n. XLVII. p. 97.

100) Verh. chirurg. Schriften, B. III. S. 352.

1) Observat. med. pract. n. 208. p. 950.

WOLP

PICA



DE

VOCIS ET LOQVELAE  
VITIIS,

CONSENSV FACVLTATIS ILLVSTRIS,

PRAESIDE

JOANN. CHRIST. REIL,

MED. ET CHIRVRG. DOCT., THERAPIAE PROF. PVBL.  
ORDIN., CIVIT. HALENS. PHYSICO, ACADEMIAE IMPE-  
RIALIS NATVRAE CVRIOSORVM SODALI,

PRO

GRADV DOCTORIS MEDICINAE

LEGITIME CAPESSENDO ,

DIE XXVI. SEPTEMBRIS MDCCXCIII.

PVLICE DISPVTAHIT

CHRIST. SAMVEL RÜCKER ,

SPROTTAVIA - SILESIVS.

HALAE ,

T Y P I S C V R T I A N I S .

